

Vosque, adulescentes, et qui nobiles estis, ad maiorum uestrorum imitationem excitabo, et qui ingenio ac uirtute nobilitatem potestis consequi, ad eam rationem in qua multi homines noui et honore et gloria floruerunt cohortabor. Haec est una uia, mihi credite, et laudis et dignitatis et honoris, a bonis uiris sapientibus et bene natura constitutis laudari et diligi ; nosse descriptionem ciuitatis a maioribus nostris sapientissime constitutam ; qui cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creauerunt ut consilium senatus rei publicae praeponerent sempiternum, deligerentur autem in id consilium ab uniuerso populo aditusque in illum summum ordinem omnium ciuium industriae ac uirtuti pateret. senatum rei publicae custodem, praesidem, propugnatorem conlocauerunt; huius ordinis auctoritate uti magistratus et quasi ministros grauissimi consili esse uoluerunt ; senatum autem ipsum proximorum ordinum splendorem confirmare, plebis libertatem et commoda tueri atque augere uoluerunt.